



UB Halle / S.

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
IURE AMICITIÆ

MLVII  
714.

17

Quam sub

Sanctissimæ atq; individuæ Trinitatis  
Præsidio

ac

Amplisf. Jurid. facult.  
permissu

In perantiq; ac celebri Thuringorum Academia  
Erbordiana pro summo in utroq; jure consequen-  
di honore licentiâ

Promotore

Viro Nobili, Amplissimo, Consultissimo  
atq; Excellentissimo

DNO. BENJAMINO Schützen /

J. U. D. ejusdem ordinis Seniori, & h. t. Decano spe-  
ctatissimo, inclytæq; hujus Universitatis Syndico me-  
ritissimo, Domino suo honorando

Die mensis

locis horisque consuetis  
publicæ disquisitioni proponit

THEODORUS CÆSAR, Collegii  
Amploniani, sive portæ Cœli apud inclytam Er-  
phordiam Decanus, & Collegiæ Ecclesiæ  
B. M. V. Clivis Canonicus

Erffurti, Typis Pauli Michaëlis, Anno 1653.

DISPUTATIO JURIDICA

DE AMICITIA

Qui tollit ab amico suo misericordiam, timorem Domini derelinquit, Job. 6.

Ne dicas amico tuo, vade, & revertere, & cras dabo tibi: cum statim possis dare, Proverb. 3.

Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet? Proverb. 20.

Si autem sciretis quid est, misericordiam volo, & non sacrificium: nunquam condemnassetis innocentes Matth. 12.

In prosperitate incerta est amicitia: nescitur enim, utrum persona an felicitas diligatur. Sape enim per simulationem colitur amicitia, ut qui non potuit aperte decipere, fraudulentè invadat. Isidorus lib. 3. de sum. bon.

THEODORUS CASAR, Collegii  
phoridiani, sive pontis Castellani  
B.M.V. C. de Canonibus

*Admodum Reverendo, Nobili, Clarissimo, Doctissimoq.  
Viro ac Domino*

**THEODORO CÆSARI**, apud inclytam Fr-  
phordiam Collegii Amploniani sive Portæ Cœli Decano,  
ac Collegiæ Clivensis Ecclesiæ Canonico: Dum ipsi summi in utroq;  
jure honores conferrentur gratulabundus ad insigne ejus allu-  
dens admodulabatur.

*Johannis Michael Schiller / Collega ibidem.*



**T**um cruce, tum clavis, vincuntur fortia jura;

Atque cruces, clavas, tollere jura valent.

Post varios casus, post tædia longa laborum

Sic largæ Musæ, sic Te Hierana beant.

Vicisti CÆSAR! cantas encomia: tandem

Pro cruce, pro clavis, Lilia jura dabunt.

*Nobi-*

*Nobilibus, Amplissimis, ac Consultissimis*

**CONSULIBUS, totiq;**

Senatui Rhenohercensi:

*Nec non*

*Nobilibus, Spectabilibus, Ornatisimis*

**Collegii Amploniani, sive Portæ  
cœli Collegiatis,**

*Dominis suis, ac Confratribus charissimis*

**THEODORUS CÆSAR** ejusdem Collegii Decanus,  
ac Collegiatae Ecclesiæ Clivensis Canonicus  
S. P. dicit.



Ogitanti mihi diu, qualem vel à corpore  
legem, vel ex institutis titulum, pro in u-  
troque jure licentia adipiscenda, discuti-  
endum proponerem: Titulus tandem de Nuptiis  
(cum is quoque juri Canonico communis sit) in men-  
tem venit. At ne putetis, quod ipsemet non cupio,  
me id vobis esse daturum: Amicitiam mihi quoque a-  
micam, ac inter humanas ac divinas res facile princi-  
pem vobis itaque Viri Nobilissimi atque Ornatisimi  
offero, & exopto. Præterea ingenue fateor, me nil  
etiam

etiam in nuptiis, quod in mulierum laudem ac favorem infererem, postquam varios juris civilis textus percurrissem, invenire potuisse. Tandem licet lex mulier bona ff. de jure dotium se se obtulerat: attamen eam cum diligentius inspexissem, legem sic habere invenio: Mulier bona sua omnia in dotem, dedit &c. Et bona hoc loco non esse nominativi, ut sit epitheton mulieris, sed accusativi casus deprehendi. Et ita in toto corpore juris civilis mulier bona non invenitur. Has autem ad corrigendas, nil, præter sinceram amicitiam, quæ à sapiente civitas firma, & ab Aristot. ad usum vitæ maximè necessaria dicitur, reperio. Quapropter cum singularis & arcta amicitia, sive non vulgaris inter ipsos etiam agnatos ac consanguineos vix inveniatur: ut nute canit Petronius Arbit.

Proverb.

18 lib. 8.

Eth. cap. 8.

*Cum fortuna manet, vultum servatis amici:*

*Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.*

Et Ovidius

*Donec eris felix, multos numerabis amicos*

*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*

Hoc meo juridico de jure amicitiae discursu, totum quasi jus comprehendere (cum amicitia etiam æque ac ipsa justitia circa personas, res & actiones versetur nihil

proverb. 17

Jacob. 4.

nihil utilius esse existimavi. De qua italoquitur sapiens: Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur. De hac igitur vera, & non de mundi amicitia, quæ à S. Jacobo Dei inimica dicitur, aliquantisper in jus exspaciari, cum civitatibus, teste Arist. nihil majus aut melius eâ dari possit, non modo necessarium esse duxi, Verum vobis id etiam ἀγάπημα viri Amplissimi ac Ornatisimi, in perpetuum amicitiae nostræ symbolum dedicare lubens volui, ac volens debui. Dabam Erphordiae in Collegio nostro Amploniano. Anno salutis 1653. ipso die S. Theodori stilo Gregoriano.

DE



# De jure amicitiaē

717.

## *Thesis prima*

**A**micitia est mutua, & manifesta benevolentia inter aliquos ob bonum aliquod. *Aristot. lib. 8. Eth. C. 2. L. 223. §. 7. ff. de V. S. Oldend. in clas. 4. action. 17. de cert. cond. fol. 500. sine herwiederumb gleiche Freundschaft.*

2.

Ea hic autem jam non tam ethicè consideratur, quam juridicè: nempe quomodo in jure alicui pro sit modo, modo ob sit.

3.

Id quod breviter, & levi, ut dicitur pollice, secundum tria juris objecta, quantum licet, tangemus.

4.

Personæ inter alia considerantur, prout sunt in familia hac, vel illa: in qua multoties multam primogenituræ datur.

5.

Juri vero primogenituræ quis exinde renunciare non putatur, sicubi ceteros fratres secum habitare, ac bona primogenituræ invisere ac administrare permiserit: videtur enim id magis tolerasse ac permisisse causa honoris, ac fraternæ cujusdam amicitiaē, quam ut sibi præjudicium creare velit. *Arg. L. qui jure familiaritatis 41. ff. de acquir. poss. Tiraq. de jur. primog. quest. 25.*

6.

Singularis & arcta amicitia consanguinitati quod sit æquiperanda docet. *L. cum allegas 4. C. de castrens. pec. milit.*

7.

Imo philosophis stuentibus amicitia propinquitati anteponenda est. *Cic. lib. 1. offic.*

Præ-

8.  
Præsertim cum amici sint anima una, pluribus in corporibus. *Aristot. in moral.*

9.  
Personæ etiam considerantur ut liberæ sic natæ, vel factæ: fiunt per manumissionem legitimam, quæ & inter amicos procedere potest. *L. unica §. sed etsi 2. C. de lat. libert. tollenda. §. multis 1. instit. de libert.*

10.  
Alia quoque se offert consideratio personarum; quæ nempe sunt vel sub tutela vel sub cura. Patres satis concessuri ut plurimum liberis suis in potestate constitutis amicissimos & fidelissimos tutores eligere solent. *L. amicissimos & fidelissimos 36. ff. de excusat. Ritterb. ad §. optionis Inst. de legat.*

11.  
Si vero à testatore in testamento tutores non sint taliter dati, possunt amici parentum eos petere. *L. 2. ff. qui petant tut. vel curator.*

12.  
Tales vero amici alium quempiam tutorem petentēs, exinde nulla actione tenentur. *L. 15. qui amicitia 44. ff. de negot. gest.*

13.  
Ut nec illi, qui paterna amicitia ducti, tutores alios sibi, non admodum probè tutelam obire putent, adeoque eos suspectos postulent, actione firmiter conveniri possunt. *D. L. 44.*

14.  
Personæ in jure potissimum etiam spectantur in potestate quæ unus præest, alter subest: ubi notandum venit: quod illi qui præsunt, non debeant nimia familiaritate ac  
ami.

amicitia cum subditis contemptibiles sese præbere. *L. Observandum ff. de offic. præsid.*

15.

Addendum demum ex jure publico: non obscurum esse haud raro principum amicitias populorum fieri exitia.

*Clar. Val. Tibit. in panegir. Acad. 16.*

16.

Adductis amicorum personis res amicè proponemus, & quidem primo divinas, quibus propemodum associantur res religiosæ, inter quas de jure sepulturæ cum agi soleat, non incommodè hic admonemus: quod secundum quosdam amicus amico defuncto funus facere teneatur. *Arg. L.*

*14. §. 9. ff. de religio. & sumpt. fun.*

17.

Item: quod is, qui funus familiare ducit in jus vocari non possit. *L. 2. ff. de in jus vocando.*

18.

Res humanae seu in commercio hominum constitutæ acquiruntur modis ad acquirendum idoneè directis, aut interventu obligationum: ita possumus per amicum acquirere dominium. *DD. ad inst. per quas personas cuiq. acquir.*

19.

Per amicum etiam possidere possumus. *L. 9. ff. de acq. vel amit. possess. Job. Vand. var. quest. lib. 2. nu. 13.*

20.

Licet vero quis familiaritatis jure fundum amici ingrediatur, non videtur tamen possidere, non enim eo animo ingressus est ut possideat, licet corpore infundo sit. *L. 4. ff. de acquir. vel amit. possess.*

21.

Donatio particularis modus acquirendi est, ubi nota quod affectionis gratia neq; honestæ, neq; inhonestæ donationes sint prohibita, honestæ erga bene merētes amicos vel necessarios, inhonestas qui si scire cupias, vide sis. *L. affectio- nis §. ff. de donat.*

B

Qui

22. Qvi frater non est, si fraternâ charitate ac amicitia dili-  
gatur, rectè cum nomine suo sub appellatione fratris hæres  
instituitur, *L. nemo 58. §. 1. ff. de hered. instit.*

23. Si inter hæredes de tabulis testamenti, cautionibus ac in-  
strumentis contentio exoritur, tunc consultum est, ut eliga-  
tur amicus, apud quem deponantur. *L. si quæ 5. ff. fam.  
bercis.*

24. Legata annua ut plurimum amicis conferimus, *L. 10. ff.  
de ann. legat.*

25. Duobus amicis, æqua charitate conjunctis, si quidpiam  
legatum fuerit, nec de persona certò constet, incertitudo,  
illa vitiat legatum, *L. 10. ff. de reb. dub. L. in tempus 62. ff. de ha-  
red. instit. Obst. L. 3. §. si duobus 7. ff. de adim. vel transfer. legat.  
vide Pbil. Matth. ad L. 71. §. pen. ff. de reg. jur. nu. 8. & 9. Nic. &  
sal. in sicilim. jur. ad d. l. 10. ff. de reb. dub.*

26. Circamateriam legatorum, quæ sæpe testator permo-  
dum stipendii relinquit amicis suis pauperibus, incidenter  
quæritur, quisnam hoc in casu pauper dicatur. R. ex præju-  
dicio pauperem hic dici, qui bona propria non possidet.  
*Garpz. part. 3. const. 13. def. 21. n. 6.* So wir dann solche Worte  
von denen Freunden / so nichts eigens haben / sondern sich mit ih-  
ren Handwerken oder Handarbeit ernehren müssen / billich ver-  
standen.

27. Legatum amico in testamento minus solenni relictum,  
jure amicitia valere, & solvi debere, statuit. *Gail. de pac. pub.  
lib. 2. cap. 10. nu. 28. cum ibi allegat. auth.*

Verum subseremus, ne magis pro libertate, quam amis-  
citiâ in allegato loco statutum sit.

Inimic



28.

Inimicitia suborta legatum aut fidei commissum, antea relictum, praesertim si gravissima & capitalis fuerit ademptum videtur. *L. 3. §. fin. ff. de adim. vel transf. legat.*

Si vero iterum in amicitiam redierunt, & testatorem prioris offensae penituit, redintegratur legatum. *L. 4. d. tit.*

29.

Rem alienam si quis legaverit, siquidem sciens, legatum valet, quod si suam esse putaverit, non aliter valet, nisi proximae personae, vel uxori, vel singulari amicitia conjuncto datum sit, cui legaturus esset, & si rem alienam esse scisset. *L. cum alienam 10. C. de legat.*

30.

In contractibus propemodum omnibus, ubi rebus ipsi interesse non possumus, operae nostrae vicaria fides amicorum subponitur. *Ex Cicer. Wesenb. in parat. ad ff. mandat. nu. 7.*

Nunquam non etiam in contractibus super usuris incidunt quaestiones: ubi sciendum est, non omne, quod differendi causa fiat, morae adnumerandum esse: Si enim debitor forte amicos adhibendos requirat, mora facta non videtur. *L. sciendum 21. ff. de usur. & fruct.*

31.

Contra transactionem metus exceptionem opponens, repellitur: cum ea, amicis intervenientibus processerit. *L. transactionem 35. C. de transact.*

33.

Amicorum enim praesentia, tollit praesumptionem metus. *Rebus. in const. Gallic. tract. de rest. art. 2. §. 30. L. 5. n. 30.*

34.

Minor tamen nimium laesus restitui potest, non obstante amicorum praesentia. *Rebus. d. L.*

B 2

In

In commodato talis diligentia praestanda est, qualem quisquis diligentissimus Paterfamilias suis rebus adhibet: Casus vero fortuitus praestandus non est: si vero alicui argentum commodatum fuerit, quia amicos ad cenam se invitaturum diceret, & id peregrè secum portaret: procul dubio & casum fortuitum sustinebit. Si vero commodans & commodatarius communem amicum ad cenam invitaverint, ac commodatarius eius rei curam in se suscepisset, commodans vero ei argentum commodasset, quidam dolum solummodo praestandum dicunt, sed verius videtur & culpam tunc praestandam esse. *L. in rebus 18. ff. commodati vel contra.*

Depositaris solum dolum tenetur, ob negligentiam non aequè: quia qui negligentiam amico rem custodiendam committit, de se queri debet. *L. 1. §. 15. quod 5. ff. de oblig. & Act. §. pen. Inst. quibus modis re contrab. oblig.*

Societas inter amicos ut plurimum in iuribus hinc etiam jus quodammodo fraternitatis in se habere dicitur. *L. Verum est 63. in pr. ff. pr. soc.*

Mandati iudicio convictus interdum infamiam subit; non enim minus turpe est hoc iudicium, quam furti: quia dux aequè res sanctissimae violantur, amicitia & fides. Non enim ferè quis alii, quam amico mandat, neque credit nisi ei, cuius fidem probatam habet: perditissimi ergo hominis est, simul & amicitiam violare, ac fallere eum, qui laesus non esset nisi credidisset. *Cicer. pro Rosc. Wesenb. in parat. ad ff. mandat. 10. circa fin.*

Super delicto privato paciscens, infamia notatur, quia **crimes**



crimen fateri videtur; confessus autem pro judicato est: secus vero se res habet, si reus precibus aut amicorum interventu impetraverit ut ab actione desistatur. *Wesemb. in par. ff. de his qui not. infam. nu. 5. ex L. non damnatos 18. C. ex quibus causis infamia irrog.*

40.

Hic quaerunt Doctores, si Judex contra aliquem de furto inquirat, & dominus fateatur rem suam sponte contrectatam fuisse, numquid per talem confessionem factam, inquisitio quiescere debeat? R. Quod non: nisi per indicia de consensu tali constet, puta, quia erat consanguineus, vel amicus. *Schneid. ad S. furtum nu. 7. inst. de obligat. quae ex del. nas.*

41.

Injuria, quae quis affectus fuerat, remissa videtur, si injuriatus injuriantem salutaverit, aut ei dextram, aut osculum dederit, aut alias amice eocum conversatus fuerit. *Arg. l. 1. ante fin. C. ad L. Jul. Mai. Schneid. ad S. fin. inst. de injur. nu. 4. mit spielen/essen und trincken, und mit andern freundlichen Wercken/die einer mit einem pfleger / damit er Freundschaft hat/wird die injurien aufgehoben/glos. jur. Sax. lib. 3.*

42.

In publicis judiciis, ut consanguineum accusare prohibemur. *L. 13. 14. 18. C. qui accusa. non poss. Cic. in divin. in Verr. Wesemb. in parat. ad ff. de accus. n. 9.*

Sic etiam amicum, quia minus ex bona fide accusatio processura videtur. *Cic. in divin. in Verr. Wesemb. in parat. ad ff. de accus. num. 9.*

43.

Poenae receptatorum ut ut satis gravis, minuitur propter vinculum amicitiae. *Gail. de pac. publ. lib. 2. cap. 10. nu. 27. ex L. cum allegas C. de Cast. pec.*

Sicut

44.  
Sicut Adulter punitur, qui domum suam ut stuprum  
adulteriumve cum aliena matre familias committeretur,  
sciens præbuerit: sic etiam qui amici domum præbet, tene-  
tur. *L. 9. in pr. ff. ad L. Jul. de adult.*

45.  
Homicidium aggravat, si quis aliquem proditorie oc-  
ciderit, qui erat amicus. *Hippolyt. Bonoc. de commun. opinion.  
crim. part. 2. f. m. 155. in verb. Homicidium.*

46.  
Aggressorem amici amicus si occidat, à poena ordina-  
ria excusatur, ob defensionis favorem. *Gail. pract. obs. 110. m.  
9. lib. 2.*

47.  
Qui enim occurrit in oppressi amici defensionem ac  
auxilium, non censetur dolo, vel deliberato animo, sed a-  
moris impetu permotus occidisse. *Alciat. ad L. 223. §. 1. n. 3.  
ff. de Verb. sign. ex Menoch. lib. 2. cent. 4. de arbit. Jud. quest. cas.  
361. m. 11.*

48.  
Antequam ad judicia procedamus, præmittendum du-  
cimur rectissime constitutum esse, ut unusquisque eodem ju-  
re, quod in altero statuerit ipse utatur jure talionis: cum ta-  
lis analogia retineat civitates, urbes urbibus jungat, ac  
amicos amicis societ.  *toto tit. quod quisque ju. in Wesenb. in par.  
ad tit. illum num. 8.*

49.  
Nota hic congruentius esse, ut lites conjunctorum ac  
amicorum intra domesticos lares & conjunctos determina-  
nentur, quam publice in foro propalentur. *L. congruentius 4.  
C. de Jud. Angl. ad rubr. Inst. de except. m. 13.*

50.  
Amici personam ponere debet, cum induit judicis Salo  
in bell. catil. *Ritters. in prin. ad Inst. de off. Jud. Rich. decis. 1. n. 4.  
Sic*



§1.

Sic inimici etiam non possunt esse Judices, ratione sic  
dictante. *C. quod suspecti 3. q. 5. C. secundo requiris 41. de appell.*

§2.

Multifariam enim pervertitur humanum iudicium:  
odio dum contra quemlibet adversarium molimur: amore,  
dum amico vel propinquo complacere contendimus. *C.*  
*quatuor 11. qua. 3.*

§3.

Sicut conjuncta Persona pro conjuncta in iudicio ad-  
mittitur sine mandato, ita & quidam putant admitti ami-  
cum pro amico, quod in praxi tamen non observatur. *Gail.*  
*de pac. publ. lib. 2. cap. 10. nu. 28.*

§4.

Procuratoris mandatum certis ex causis revocari potest:  
ut sunt inimicitiae, item affinitates aut amicitiae cum adver-  
sario contractae. *L. vel exilio 21. ff. de procur. Wesenb. in par. ad d.*  
*tit. nu. 11.*

§5.

Finitur inter alia procuratoris mandatum, finita in-  
stantia, videlicet lata sententia definitiva; non enim cogitur  
Procurator qui in prima instantia operam suam alicui praes-  
tat, eam etiam in secunda praebere: Cum etiam in paucis  
sufficiat, rebus amici consuluisse. *L. tutori. 20. C. de negot. gest.*

§6.

Amicus in causa amici prohibetur esse testis. *Arg. L. 3 ff.*  
*de testibus. Lanf. in C. quoniam verb. testium de probat.*

§7.

Ad eundem modum etiam inimicus testis esse non  
potest. *C. suspectos 3. qua. 5. D. L. 3 ff. de testib.*

§8.

Quidam causas in iudicium deductas necessario defen-  
dere tenentur: quidam vero sponte & ultro ad propugnandam  
amici causam accedunt. *L. liberto vel amico 31. §. 2. ff. de*  
*negot. gest.*

Sæpe

Sape numero enim fit, ut eorum, qui propter subita-  
neam festinationem nulli demandaverint rerum suarum  
curam peregrini & profecti, negotia praesentes amici ultro sus-  
cipiunt. *Wesimb. in parat. ad ff. de negot. gest. nu. 1.*

**60.**  
Coronidis loco quaritur hic de casu illo. Quem qui-  
dam pro amico, alii pro diabolo nominant: numquid vide-  
licet iudex possit amico, si alterutrum litigantium habeat,  
gratificari. *Respondemus cum Ulpiano ex L. 79. §. 1. ff. de jud.*  
quod iudex iudicando materiam gratiae non aucupetur, sed  
prout religio suggeret, sententiam proferat. *Rennem. de princ.*  
*Fur. disp. 6. in coroll. Berlich. part. 2. concl. 22. nu. 70. vide L. 15. §. 1.*  
*ff. de jud.*

**F I N I S.**

**A**Mici sive iuste, sive iniuste arguunt, non obprobare  
volunt, sed emendare. Inimici autem etsi iure repre-  
hendant, hoc tamen agunt, non ut corrigant, sed ut exhibe-  
ant. *Cbrys. hom. 9.*

**JESUS**

anag:

**Jus es**

Justitiam violent homines, vendatur & auro,

Jus contra leges: purum mihi jus est **JESUS.**

**Dat aMIGtla Leges.**

ULB Halle 3  
004 326 318



*f*

*sb.*

*WMA*







B.I.G.

Farbkarte #13

...IDICA

...ITIAE

...Trinitatis

...um Academiae  
...e consequen-

...ultissimo

Schützen /

...t. Decano spe-  
... Syndico me-  
...ndo

R, Collegii  
...nclytam Er-  
...Ecclesiae

...1653.

MLVII  
717.

17

26

